



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Stephani Thevpoli Bened. F. Patric. Veneti,  
Academicarum Contemplationum Lib. X**

**Piccolomini, Francesco**

**[Basel], 1590**

**VD16 ZV 12463**

De Hominis Foelicitate. C. 4.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12918**



te ideæ per quas mens sine anime, & anima sine virtute imaginandi, intelligere valent.

*De Hominis felicitate. CAP. IV.*

**H**omo, qui inter animalia solus mundi civis nuncupari meretur; cum solus sit rationis, & mentis particeps, natus præesse aliis; quoniam à cœlo descendit in terras, etiam à terris debet censerī aptus eleuari in cœlum: facilis est quidem ei descensus, ascensus verò difficilis; non ita tamen, vt studio, & sollicitudine difficultatem superare non valeat: in quo ascensu putandum est, esse positum summum bonum eius. Id ipsum ex eo patet; quoniam conspiciamus omnes homines interna quadam animi commotione felicitatem expetere, & quærere: ne autem illa naturalis propensio sit inanis, putandum est paratam eis esse felicitatem; in qua, tanquam in postremo fine requiescât. Et præsertim; quia si secus esset, noster appetitus inaniter in infinitum progrediretur, nec finē ullū adinuenire posset. Præterea, id ipsum confirmatur; quia anima rationalis, affinitatis nexu, cum diuinis est iuncta; ideo diuinarum conditionum debet esse particeps: conditio autem, ac veluti affectio diuinorum, felicitas est. Fateamur itaque natum esse hominem assequi felicitatem: de qua variæ Philosophorū fuere opiniones. Nam quicumque hanc solam mortalem nouere vitam, & ad futuræ notitiæ eleuari non potuerūt; in hac sola hominū conuenire



uenire foelicitatem existimarunt: e quorum numero fuerunt Peripatetici; qui, vt in futurae vitae cognitione, ita in foelicitatis explicatione summo opere sunt hallucinati. Quicumque vero futuram nouere vitam, vt nostri Theologi, & cum eis Plato, recte asseruerunt, vitam hanc esse, veluti viam ad aliam; & in hac vita, vel nobis foelicitatem non conuenire, vel conuenire valde tenuem, & paucis; adeo, vt potius dispositio ad foelicitatem, quam vera foelicitas, homini sub orbe lunae collocato conueniat; adeo, vt, ratione quoque huius, homo iudicari debeat ludus Deorum. Vt autem haec veritas clarior appareat; quid sit foelicitas, perpédamus. Afferere, quod summum hominis bonum, eiusque foelicitas sit virtus, vt aiunt Stoici, falsum est. Nam virtus est purificatio animi; & propterea est dispositio ad foelicitatem, non foelicitas. Pariter non videtur esse dicendum cum Aristotele, quod foelicitas sit actio virtuti consentanea; quoniam actio est accidés, quod non valet esse postrema perfectio substantiae; insuper, omnis actio est gratia boni, respicit finem, perducitque ad aliud; ideo non ea finis est, sed potius medium, per quod finem attingimus. Propterea putandum est, foelicitatem esse positam in summi boni fruitione, postremi finis consecutione, nexuque cum eo; & iure quidem: nam foelicitas, & summum bonum, in idem veniunt; summum bonum est auctor, & finis omnium; in eius itaque fruitio-



ne felicitatem esse positam, censendum est. Confirmatur; quoniam ab eo solo potest absolute pendere bene esse, à quo pendet esse: homo esse habet ab vniuersi opifice; ab eo itaque solo debet sperare bene esse. Colligamus itaque felicitatem non esse virtutem, non cumulum humanorum bonorum, non vitam naturæ consentaneam, non actionem probam; sed nexum cum primo principio, fruitionem eius, & conformationem humani animi cum eo, vt ei licet.

*Qua via ad summum bonum eleuemur.*

## CAP. V.



Vulgata satis est sententia, eosdem esse gradus ascensus, & descensus; & sola ratione differre: cum itaque patuerit, per quos gradus anima à mundi opifice descēdat; etiā patere potest, per quos ascēdere valeat: descēdit anima post mentē, & ideas non participatas, ac participatas, recedēdo à se, ac ad vitas postremas declinādo; id eò, vt ascendat, debet ad se redire; & per rationes, ideas, & mentes medias, cū ipso vno, ipsoque bono coniungi. Finis postremus huius diuinæ conuersionis, & reditus, vnus est: ea verò, quæ ad hanc conuersionē nos excitāt, ac ad finē perducunt; non vnū, sed tria esse possunt; vt ex Phædro, & Phēdone colligitur: Nam Amor, Musica, & Philosophia, id efficere valēt; & ppter ea Mercurius, Venus, & Phēbus nostro ascen-